



Universitätsbibliothek Paderborn

[Claudio Lalano Sodali Svo I. B. Santolius V.]

Santeul, Jean de

[S.I.], 1670

Ad I. B. Santolivm Victorinvm. Ode. Aeterna esse praemia Poëtarum qui
Latine scribunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13421



A D

I. B. SANTOLIVM
VICTORINVM.

O D E.

*Æterna esse præmia Poëtarum qui Latine
scribunt.*

NON, si carmina Gallicis
Apte juncta modis, ingenI & artium
Idem cultor & arbiter
COLBERTUS meritis muneribus fovet,
Romanæ, ut quereris, lyræ
Omnis continuo laus perit & decus,
SANTOLI. Neque præmia
Illum deficient, Virgilio duce,
 Versus persimiles tuis
Quandoque Ausonia qui recinet tuba.
 Nescis ut patrio novam
Sermoni faciem quæque ferat dies;

K ij

Nam quas nunc misere anxius
 Scriptor quærere amat delicias , brevi
 Uſus ſi volet inſolens ,
 Spretas reiicit non ſine nauſea.

R O N S A R D U S male barbaro
 Molles auriculas murmure vulnerat ,
 Dictus Franciacæ Pater
 Linguæ. Quis modo non unius æſtimet
 Affis vendita millibus
 Ter denis opici carmina P O R T E T ,
 Et jam P E R R O N I D E jaces :
 Iam M A L H E R B A tuos Sequana parcius
 Miratur numeros. Fugit
 Laudatus populis V E T T U R I U M lepos :
 Festino & nimium pede
 Chartas B A L Z A C I I deseruit Venus ,
 Sic mori placitum improbo
 Fastidire , ſemel quod placuit , diu.
 At certus Latiis honos ,
 Et vani haud metuens tædia fæculi
 Perſtat Gratia Vatibus .
 Vivet perpetui Musa S I D R O N I I
 Puro flumine purior :
 Et qui nunc cithara provocat æſculis

Auditas Calabris fides;
 Acri nunc lituo Mænidem refert;
 Felix ponere **V VALLIUS**
 Incano duplarem vertice lauream.
 Rident sole sub aureo
 Flores nigram hyemem, quos facili manu
 Infervit meus & mero
R A P I N U S nitidos nectare perpluit.
 Et te fama, **R u A E**, anus
 Tradet postgenitis, non humili pede
 Persultantem Isalæ vada
 Dum cantu Batavos exagitas duces,
 Et quos Rex gladio ferit,
 Æterno calami figis acumine.
 Nec te, **F R I Z O**, sinet premi
 Obscuro indecorem posteritas situ:
 Cui si me ingenio parem
T U R E N N I annuerint dicere prælia, &
 Rubros sanguine Belgico
 Musæ **B O R B O N I D A S**; non aliis velim,
 Obsceni fugiens lucri
 Ornari potius carmina, præmiis.

f. Commirus, s. f.